



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Mariani Societatis Iesv

Nádasi, János

Romæ, 1658

Anno MDLV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42840

DEI Matris candori intolerabile probrum. docebat eam quotidianis noxis, & veniã dignis aspersam, fuisse labeculis. In sua patria eiusdem cæli Augustæ honori, festisque augustè celebrandis operam, sic nauavit, Orlandino autore. Agitabatur anniuersarius Assumptæ in cælum Deiparæ dies, sed inscurrilibus saltationibus, profanisque lætitijs, cum Syluester ab infans illis gaudijs CHRISTI plebem, abductam ad vespertinos in templo cantus, & meliora gaudia conuertit. Semper in illa, semper inueniēniemus quod laudemus, quod ad propagandum eius cultum iuuet. Roganda est illa, vt verba nostra sint ignis accendens, & solidum fructum ferant conatus nostri. O MARIA, inquit Seraphica illa Virgo Cath. Senensis, MARIA templum Trinitatis, O MARIA portatrix ignis, MARIA administratrix misericordia, MARIA germinatrix fructus.

ANNO MDLV.

109 Res oculatorum testium, & plurium fide certa est, id non nostris tantum, verum & externis non sine lachrymarum effusione testantibus, quam narro è Tursellini historia Lauretana. Anno 1555. cum vnus è Patribus Societatis IESV in Lauretana, ad concionem de more haberet, ad populum, luce palam, plurimis inspectantibus, ignes quidam haud obscuro cælo delapsi, sacrosanctum sacellum infederunt: mox inde diffusi circuire concionem, denique cunctis rei miraculo stupentibus, recipere se se, in cælum. Biennio post cælestis flamma, concioni toti, sacello, & sacris pœnitentiæ tribunalibus infedit. Aduerte ex his, & pluribus quæ istic narrat in rem nostram Tursellinus, cæleste nobilis flammæ ingenium. Videbatur Virgo Mater dilectos, sibi Patres in tota illa sua domo, vbi nam essent, velut in-

Assumptæ
B.V.
ibid.

Abusus
tollere.

Mat. II.

lib. 3. c. 14.
Feruorē
spiritus
per B.V.
petere.
Vid Incie
Grac. 14.

uestigasse : ac primùm in natali suo cubiculo suppli-
ces, tum concioni dicendæ, ac audiendæ intentos,
denique sacrâ animarum expiatione occupatos co-
ronasse, incendisse : vt Spiritus Sanctus, ignis ille
Sponsus Virginis, tam nos dum ad alios dicimus,
vel confitentes audimus, quàm eos, qui nos audiunt,
quique apud nos peccata expiant, documentum de-
disse videatur, debere nos ad MARIAM conuolare,
ac à sacro illius sinu ignem haurire, dum siue cum
DEO, siue ad populum, siue ad eos, qui peccata
confitentur loquimur : idemque præstari debere ab
ijs quos pœnitentes audimus, vel qui nos audiunt
pro concione dicentes. Vt ergò is qui è sacratissi-
mis hisce occupationibus meritò expectari debet
fructus vtrisque respondeat abundè, MARIA con-
fessionibus audiendis operam nauantium, MARIA
concionem alloquentium, MARIA denique preces
fundentium peccata purgans, mentes illuminans,
nos DEO immortaliter coniungens, flamma esto.
Sic S. Germanus Patriarcha de B. V. locuturus, Isaiã
linguam carbone ignito tactam, mutuos ignes, cæ-
lestes flammæ memorat ; vt diuinis ijs facibus in-
flammata oratio ad celebrandam extollendamque
MARIANI diei sublimitatem efferat sese, cumque Ga-
briele ignis in modum rutilante simul aduolet ad
aures, & cor.

ANNO MDLVI.

110 S. P. Ignatius (quem eruditus Ioannes Ta-
mayus in Martyrol. Hisp. 31. Iulij animam mundi
mysticè vocitari ait) hoc anno 31. Iulij cælo est af-
fertus. Hic visus est adstare Beatissimæ V. imagini,
& quendam de Societate coram illa supplicem Dei-
paræ impensè commendare ; Deiparâ eum, qui ab
Ignatio commendabatur, amanter, hilarèque com-
ple-

Vide Leon.
de Anna.
l. 1. c. 31.
Annus
Aueniõ.
1601.